AUTHOR:

HAUSSDING, FRIEDRICH

TITLE:

DE DEMOSTHENE ATHENIENSIUM

PLACE:

HALAE

DATE:

[1870]

Master Negative #

91-80180-31

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Haussding, Friedrich, 1845-
De Demosthene Atheniensium in bello Peloponnesio duce. Dissertatio inauguralis historica quam scripsit et ... publice defendet Fridericus Haussding ... Halae, formis Ploetzianis [1870]
36 p. 21 cm.

Thesis, Halle, 1870.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA ~~IIA~~ IB IIB
DATE FILMED: 8/14/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE DEMOSTHENE ATHENIENSIUM IN BELLO PELOPONNESIO DUCE.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXII. M. JUN. A. MDCCCLXX
HORA XI
UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS
PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS HAUSSDING,
LUSATUS.

ADVERSARII ERUNT:
CAROLUS FELGNER, DR. PHIL.
CLEMENS DIETRICH, STUD. THEOL. ET ORIENT.

HALAE,
FORMIS PLOETZIANIS.

Auctorum, qui de Demosthene aliquid nobis tradiderunt, inprimis illorum temporum aequalis Thucydides memorandus est, quem a Demothenis partibus dissensisse infra docebitur. Ejusdem aetatis etiam Aristophanes est, qui in comoedia, quam „equites“ inscripsit, Demosthenem servi partes agentem producit. Scriptorum aetate posteriorum auctoritate plurimum valent Pausanias et Plutarchus, qui cum alios tum Philistum Syracusanum Demosthenis fere aequalem sequuntur.

Demosthenes Alcisthenis filius. Cujus de familia atque vita ante a. 426 acta nihil nobis traditur. Patriam Pergasen pagum fuisse indicat Aristophanes (equit. v. 313—315), cum Demosthenem dicentem inducat:

„Κἀμὲ τοῦτ᾽ ἔδρασε ταὐτὸν νὴ Δί᾽ ὥστε κατάγελων
πάμπολυν τοῖς δημόταισι καὶ φίλοις παρασχεθεῖν,
πρὶν γὰρ εἶναι Περγασῆσι ἔνεον ἐν ταῖς ἐμβάσιν.“

Ribbeck quidem, quod hoc loco Pergases mentio fiat, causam esse negat, cur Demosthenis patria habenda sit. Sin, vero, id quod omnibus probatur, Aristophanes id spectavit ut servum illa dicentem spectatores Demosthenem agnoscerent, maxime idoneum erat, servum illum praeter alia loco quodam etiam patriae memorantem facere. Qua re cum hoc loco effectus comicus non minuatur non dubium mihi est, quin Pergase pagus Demosthenis patria fuerit. In eadem comoedia cum poeta Niciae collegae ingenium ac mores praeclarissime expresserit, causam non esse Droysenio (praefat. ad. Ar. equit.) assentior, cur Demosthenis descriptionem minus veram esse ponamus. Qui diras initio voces emittens homo asper et acer, in vinum pronior producitur et sophistica illorum temporum doctrina jam infectus esse videtur, ita ut Niciam superstitio-

sum per ludibrium, ut deos esse argumentis doceat, provocet. (cf. v. 32 sq.)

Ducem Demosthenem primo reperimus in Graecia occidentali (cf. Thuc. III, 91. 94—98) a. 426. Triginta navibus Athenis profectus postquam exercitum Acarnanum, Zacynthiorum, Cephalleniorum auxiliis, classem quindecim Corcyraeorum navibus auxit adversus Leucadios arma tulit, qui Acarnanibus solis Atheniensium in illa regione sociis periculum intendebant. Quorum insulam depopulatus, cum hostes in oppidum se inclusissent, ab Acarnanibus, qui facile illud oppugnatu esse existimabant, sollicitatus est, ut circumsederet oppidum. Id quod ille noluit, cum majora jam moliretur.

Ad id tempus belli gerendi ea ratione utebantur Athenienses et Lacedaemonii, ut alteri alterorum terras incursionibus depopularentur. Qua ratione, cum Athenienses classe, exercitu pedestri Lacedaemonii plurimum valerent, tantum aberat, ut bellum profligaretur, ut frustra in longius produceretur. Quod cum bene intelligeret, Demosthenes necesse esse existimabat, ut Athenienses, qui praeter Acarnanes, Plataeenses Naupactoos nullos fere in terra continenti socios habebant, aut vi aut foedere mediam Graeciam sibi adjungerent. Quo facto futurum esse sperabat, ut Athenienses terra marique praepotentes Lacedaemoniorum opes profligare possent. Itaque non ingrati venerunt Demostheni in Leucadia versanti Messenii quidam Naupactoi, qui adhortabantur, ut Aetolorum potentissimam in Graecia occidentali gentem iisque infestissimam adoriretur. Quos facile cum tanto exercitu eum subacturum esse docebant, cum homines levis armaturae in pagis immunitis dispersim habitarent. Deinde omnes illius regionis gentes cum Atheniensibus in societatem venturas esse. Adducitur Demosthenes non magis Messeniorum studio quam quod eo modo sine Atheniensium opera cum sociorum copiis propositum suum se consecuturum esse sperabat. Aetolis subactis per Locros Atheniensium socios, Dorios et Phocios, quos aut vi aut voluntate se sibi conciliaturum esse sperabat, in Boeotiam ingressus Boeotos Atheniensibus infestissimos prosternere cogitabat. Atque cum Acarnanes de ejus consilio certiores

facti decedere nollent, quod Leucadiorum oppidi obsidio nondum perfecta esset, illis invitis cum reliquis Cephalleniorum, Messeniorum, Zacynthiorum copiis et trecentis Atheniensium militibus ex Leucadia classe abiit. Naupactum advectus Locris imperavit, ut omnibus copiis in regione mediterranea cum ipso se jungerent. Quos, cum levi armatura egeret, Aetolorum finitimos, qui aeque atque illi armati eorumque pugnandi generis periti essent, permultum sibi profuturos esse sperabat. Ipse statim ab Oeneone Locrensi profectus primo die Potidania, altero Crocylio, tertio Teichio immunitis Aetolorum pagis potitus est nullo resistente, cum incolae in saltus confugissent. Teichii manebat, ut Locrorum adventum exspectaret. At Messenii Demostheni persuadere student, ut extemplo longius progressus ceteros pagos expugnaret, priusquam Aetoli in unum coacti omnibus viribus resisterent.

Itaque ille, quod prima prospere evenerant, fortuna fretus adducitur, ut Locros non exspectans longius procederet. Temerarium, qui nec bellicosae ac ferocis Aetolorum gentis pugnandi genus nec invia locorum satis comperta haberet! Postquam Aegitium oppidum facile expugnavit, Aetoli, qui in eam regionem omnes convenerant, undique eum aggrediuntur. Atque illi quidem homines levis armaturae eminus tela in hostes dejicientes facile, ubi Athenienses impetum facerent, pedem referebant. Athenienses initio quidem, quamvis graviter laborarent, resistunt. Sagittariis vero, cum tela deficerent duxque occidisset, dispersis exercitus Atheniensium pugnae labore fessus in fugam se convertit. Permulti in fuga ab hostibus telis occisi, alii Chremone quoque Messenio, quo duce itineris usi erant, interfecto in saltibus errantes perierunt. Pauci Oenium et ad maris litora effugerunt. Athenienses deinde quotquot superstites erant, domum se retulerunt, Demosthenes ad Naupactum remanere statuit. Atque habuisse eum Grotio assentior, cur timeret, ne, si Athenas rediret, a civibus quid pateretur. Nam non solum Acarnanum, qui soli fere in Graecia occidentali Atheniensium socii erant, iram conciverat, sed et hostium numerum incursione in Aetolos facta auxerat. Qui Lacedaemo-

niis (cf. Thuc. III, 100 sq.) arcessitis Naupactum oppugnare statuerunt. Quod cum comperisset, Demosthenes Naupacto decedere nolebat, ut, si posset, oppidum temeritate sua in periculum adductum servaret. Deinde cum hostes Eurylocho Spartano duce Locrorum aliis vi aliis voluntate subactis Messeniorum agros devastare atque Molycriam oppidum, quod in Atheniensium dicione erat, expugnasse comperisset, veritus, ut nimio Naupacti murorum ambitui defensores suppeterent, ipse ab Acarnanibus auxilium petere constituit. Nec frustra. Tantum valebat apud illos auctoritate et gratia, ut ira dimissa cum eo mille pedites Naupactum mitterent. Quo factum est, ut hostes cum auxilium Messeniis cum Demosthene venisse acciperent, spe urbis expugnandae dejecti exercitum abducerent. Itaque Demosthenes rem temeritate sua prolapsam paene restituerat: placatis Acarnanibus, oppido fortissimo Atheniensium imperii ad mare Corinthium propugnaculo ab interitu vindicato. At majora mox confecturus erat.

Ejusdem anni auctumno ad Demosthenem (cf. Thuc. III, 105 sq.) Acarnanum legati venerunt, qui petierunt, ut exercitui eorum praeesset. Acarnanes enim Amphilochis subvenerant, quos Ambracienses adorti erant. Cum his Peloponnesii Eurylocho duce, qui Naupacto in Aetoliam castra moverant, ex composito se juncturi erant. Neque dubitavit Demosthenes illorum precibus indulgere. Ducentos gravis armaturae Messenios, sexaginta Atheniensium sagittarios in viginti eorundem navibus, quae in illis regionibus in statione erant, secum ducens non multo postquam Eurylochus cum Ambraciensibus in colle ad mare sito, cui Olpae nomen erat, castra junxit, in sinum Ambraciensem pervenit. Naves collem a mari custodire jussit, ipse ab Acarnanibus eorumque sociis dux creatus castra haud procul ab hoste posuit. In media fauces erant. Sexto die exercitum ad proelium educit. Cum vero hostes militum numero aliquantum praestarent, metuens, ne a cornibus circumveniretur, haud procul a dextro suorum cornu in cavo insidias collocavit, milites circiter quadringentos, qui, ubi circumvenirent hostes, a tergo eos adorirentur. Ipse cum Messeniis paucisque Atheniensium

dextrum cornu tenebat contra Eurylochum ejusque Spartanos et Mantineos. Acarnanes atque Amphilochorum sagittarios in sinistro posuerat contra Ambracienses ceterosque Peloponnesios. Deinde signis collatis cum hostes dextrum Atheniensium cornu, quod Demosthenes animo praeceperat, circumvenissent, Acarnanes ex insidiis concurrunt, ita ut hostes et a tergo ab illis et ex adverso Messeniorum fortitudine pressi nec consistere possent et majorem exercitus partem in fugam traherent. Neque minimam operis partem Messenii perfecerant. Acarnanes atque Amphilochos hostes in fugam verterunt et prosecuti sunt. In quos, cum redirent, Demosthenes superato jam Eurylocho Acarnanes, quos secum habebat, impetum facere jussit. Qui facile eos vincunt. Tum incomposite omnes praeter Mantineos fugientes castra petierunt neque pauci interfecti sunt. Inter quos Eurylochus et qui ei successurus erat, Macarius Spartani erant. Acarnanum eorumque sociorum trecenti occisi sunt.

Deinde Demosthenes a terra hostium castra oppugnare coepit, a mari naves obsidere jussit, ut effugiendi locus deesset. Qua re cognita cum quomodo tolerarent obsidionem nescirent, hostes legatos ad Demosthenem miserunt, qui de induciis, receptu et mortuis reddendis agerent. Mortuos sepeliendos reddidit ille, exercitus deducendi potestatem non dedit, et quod Acarnanes, qui inexpiabili in Ambracienses odio inflammati erant, repugnabant, et quod ipse Lacedaemoniis perniciem moliebatur. Secum enim reputans maximam virtutis opinionem, quam ad id tempus habuissent Lacedaemonii, tanta clade accepta jam laesam quidem esse, sin vero oppugnatione ad desperationem adducti fortiter resisterent, mox restitutum iri, neque inscius Spartanos nihil sociorum causa facere, sed metiri suis commodis omnia, Menedaio, ceteris Peloponnesiorum ducibus primoribusque atque Mantineis effugere permisit, si clam se subducere Ambraciensesque deserere vellent. Qua ratione non solum Ambracienses solos relictos facilius se perditurum, sed etiam Lacedaemonios ea sociorum proditione totius Graeciae invidiam atque infamiam sibi moturos esse sperabat. Neque illorum improbitatem non recte norat. Qui nimia sui cupiditate id tantum

spectantes, quomodo se ipsos servarent, omni pudore posito condiciones acceperunt et mortuis sepultis socios deserere se parabant.

Interea Demostheni nuntiatur, exercitum ab Ambracia urbe profectum, cum quae ad id temporis gesta erant nescirent, tendere ut cum ceteris Ambraciensibus a Demosthene obsessis castra jungerent. Contra quos exercitus sui partem misit, qui illis insidiarentur et loca idonea praeoccuparent. Cum reliquo exercitu ad sequendum se parabat. Hoc tempore Peloponnesii per speciem lignandi singuli e castris decedunt et aliquantum longius progressi gradum addunt. Quod ubi senserunt, Ambracienses cursu consecuti sunt, ut illos ex fuga reprehenderent, et ab Acarnanibus, qui non ex pacto hostes abire existimabant, impetum facientibus omnes fere occiduntur, ita ut aegre Peloponnesii, quibuscum Demosthenes pactus erat, mortem effugerent.

Exercitus qui Ambraciensibus auxilio veniebat, interea ad duo colles, quibus Idomene nomen erat, pervenit. Quorum editiorem jam milites a Demosthene missi praeoccupaverant. Quod cum ignorarent, Ambracienses securi in altero colle castra ponunt. Demosthenes ipse sub vesperum cum altera exercitus parte oram sequens illic abiit, alteram per montes Amphilochios eodem misit. Ad suos cum pervenisset, jam ante lucem ad hostium castra contendit. Messenios in primo agmine collocavit eosque Dorice loqui jussit, ut procubitoribus deceptis clam castra intrare possent. Id quod bene successit, cum propter noctis tenebras facies hominum non plane agnosci possent. Castra ingressi extemplo in hostes dormientes irruunt atque permultos interficiunt. Reliquorum pars in montes confugiunt. Cum vero Demosthenes exitus omnes per Amphilochios antea obsedisset, qui et locorum scientia et leviore armatura hostibus impeditis praestabant, illi, cum quo se verterent non haberent, in saltus et insidias incidentes omnes perierunt. Alii ad maris litus, quod haud procul aberat, concurrerunt et, cum vel ab Atheniensibus quam ab Amphilochis barbaris, qui illis maxime odiosi erant, interfici mallent, nando ad naves accedere conabantur.

Interfectorum summam Thucydides non tradit, quod pro Ambraciae viribus incredibilis esse videbatur. Addit autem, nullam Graecorum civitatem ad id temporis tanta clade affectam esse.

Quam ob rem Demosthenes Ambraciae oppugnandae consilium cepit, et Thucydides, si Acarnanes et Amphilochi illi obtemperassent, urbem eodem die primo impetu capi potuisse affirmat. Deinde cum praeda distribueretur, Athenienses tertiam exuviarum partem acceperunt. Demostheni soli trecentae datae sunt. Quae tropaea secum portans is, cum ita acceptam in Aetolia ignominiam correxisset, fiduciae plenus Athenas revertit. Quippe qui Corinthiorum coloniam in Graecia occidentali opibus maxime florentem tanta strage afflixerat, ut nunquam post emergeret, et Spartanorum non solum excellentem in re militari gloriam virtute atque bellandi arte superaverat, sed etiam improbitatem, qua sui tutandi causa socios prodiderant, consilio atque prudentia ignominiae objecerat. Huc accedit, quod haec omnia solis cum sociis sine ullo fere Atheniensium subsidio perfecerat. Quam ob rem non mirandum est, quod summam civium gratiam sibi conciliavit, praecipue cum exuvias ipsi tributas ceteris, quae civibus destinatae erant, in mari interceptis populo dono dedisset.

Respicientibus nobis, quae ad id temporis gesserit Demosthenes, mirum videtur, qua cum Messeniis et Acarnanibus necessitudine junctus fuerit. Apud hos, quamvis ob Leucadiam non obsessam irascerentur, tantam habebat auctoritatem, ut non solum, cum ipse eos adiret, quod petierat, auxilium darent, sed paulo post eum exercitui praeficerent. Messenios vero Naupactoos, Spartanis infestissimos, amicissimos Demostheni fuisse reperimus. Quorum gratia aliqua ex parte adductus est, ut contra Aetolos exercitum duceret. Tum, ut Naupactum servaret, ipse Acarnanes, qui ei irascebantur, precibus adiit, ut auxilium mitterent. Deinde in proelio apud Argum commisso illos in infestissima acie collocaverat, unde elucet, quantopere fideli eorum in ipsum animo

fretus fuerit. Postea quoque Messenios et Acarnanes in omnibus fere Demosthenis expeditionibus ceteris praestitisse inveniemus et in Pylio et in Boeotico bello. Atque praecipue *Δημοσθένους φιλίᾳ* Atheniensibus in Siciliam subvenisse Acarnanes his ipsis verbis confirmat Thucydides l. VII. c. 57. Praeterea memoratu dignum est, quod Demosthenes in parando Aetolico illo bello consilium ceperat hoc tantum opus perficiendi (cf. Thuc. III, 95.) *ἄνευ τῆς τῶν Ἀθηναίων δυνάμεως*. Qua re nihil aliud intendisse videtur, nisi ut civibus a belli laboribus liberatis ipse cum sociis imperium Atheniensium proferret itaque auram popularem sibi conciliaret. Ad idem spectat, quod exuvias ipsi tributas civibus dono dedit. Adde, qua Spartanos importunitate profligaverit Demosthenes, et qua cum Messeniis infestissimis illorum hostibus amicitia atque necessitudine conjunctus fuerit. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin illum popularium partes secutum esse putemus, qui bellum contra Lacedaemonios ad internecionem geri volebant. Id quod infra planius apparebit ex Pylia Megarensi Boeoticaque expeditionibus.

Quam sententiam non revocabimus, si quis opposuerit, in Aristophanis comoedia „equites" inscripta Demosthenem cum Nicia collega consilia jungere, ut Cleonem, qui illo tempore popularium dux erat, perdant. Data est fabula Januario mense a. 424, non multo postquam Pylo occupata Demosthenes una cum Cleone victoriam ex Spartanis in Sphacteria insula adeptus est. Illo tempore prae ceteris civium gratia Demosthenem floruisse consentaneum est, ideoque factum esse videtur, ut praeclarissimus ille dux praeter Niciam et Cleonem factionum principes tertius populi servus introduceretur. Si addimus, cum illius victoriae, quae soli Demostheni debita erat, pretium percepisset Cleo, satis habuisse poetam, cur in illa comoedia, qua hunc perstringere volebat, inter Cleonem et Demosthenem inimicitias esse fingeret, ex ea fabula illos etiam in republica dissidentes fuisse non conjiciemus.

Demosthenes postquam ex Amphilochico bello ineunte hieme domum revertit, cum in tertium Ol. 88. annum dux non creatus esset, a publicis negotiis remotus Athenis com-

morabatur. Quod otium virum illum strenuum atque acerrimum aegerrime tulisse nemo negaverit, praecipue cum Boeotiae prosternendae consilium nunquam plane abjecisse videatur. Alia quoque animo agitabat, quae ex Messeniorum consuetudine illi in mentem venisse verisimile est. Per Messenios loco quodam in Messeniae litore occupato Spartanorum servos ad seditionem stimulare volebat, ut illi intestino bello vexati prohiberentur, quominus sociis auxilium ferrent. Tum facillime se Isthmo potiturum et Spartanis ita in Peloponnesi terminos coërcitis Boeotiae prosternendae potestatem sibi futuram esse sperabat. Dum haec omnia animo volutat, Peloponnesii primo vere a. 425, ut consuetudo ferebat, in Atticam incursionem faciunt. Eodem tempore ab Atheniensibus in Siciliam classis parabatur. Itaque porro bellum ea ratione gesturi erant Graeci, quae minime probabatur Demostheni. Qui monitus simul, quoad Lacedaemoniis Isthmi transcendendi potestas esset, Boeoticam, quam spectaret, expeditionem non processuram esse, non amplius otium tolerans consilium cepit intestini per Messenios Lacedaemoniis belli excitandi. Illo tempore eum jam spectasse, ut ipsam Pylum muniret ibique Messenios collocaret, persuadere mihi non possum, cum postea in oppido illo muniendo Athenienses omni apparatu egerent. Demostheni vero, cum hoc anno imperium non teneret, ad populum ferre placuit (Thuc. IV, 2) ut sibi permitterent classe illa, quam in Siciliam missuri essent, adversus Lacedaemonios uti. Atque cives decreverunt, id quod omnibus reipublicae institutis repugnabat, ut ei classe illa ad arbitrium contra Peloponnesum uti liceret (*χρῆσθαι ταῖς ναυσὶ ταύταις ἢν βούληται περὶ τὴν Πελοπόννησον*). Unde apparet, accuratius Demosthenem consilia sua in medium non protulisse. Eo magis mirandum est, quod petenti ei cives tantam illam extraordinariam potestatem dederunt, praecipue cum non multum oratione valuisse videatur. Testimonio est brevissima illa oratio, qua eum milites ad defendendam Pylum adhortantem facit Thucydides (cf. Thuc. IV, 10). Aristophanes quoque in fabula, quam supra diximus, ad faciendum quam ad dicendum promptiorem inducit De-

mosthenem. Itaque suspicio est, popularem quendam oratorem precum illius adjutorem fuisse. Id quod, cum Demosthenem popularium partes secutum esse conjecerimus, optime cadit in Cleonem, qui illo tempore summa in republica auctoritate valebat. Qui, si a Demosthene dissensisset, facile eum talia petentem atque consilia celantem plebi in suspicionem adducere potuisset.

Demosthenes, postquam, quod voluerat, impetravit, classem conscendit, quae Eurymedonte et Sophocle ducibus jam vela datura erat. Deinde cum Peloponnesi oram legentes ad Pylum Messeniam adpropinquarent, Demosthenes postulat, ut navibus ad Pylum accederent duces atque Coryphasium promontorium munirent. Quo facto licere illis iter pergere. Apud illos vero, qui optimatium partes sequebantur, audacem illum atque temerarium Demosthenem non gratiosum fuisse, praesertim cum ei cives permisissent classe, quam ipsi ducerent, ad suum arbitrium uti, libentissime Curtio concedo. Repugnabant igitur et sine mora ad Corcyram iter pergi jusserunt, quoniam ibi populares, quibus auxilium ferrent, magnopere ab optimatibus atque Spartanorum navibus urgerentur. Cum vero tempestate coacti naves in portu Pylio constitissent, rursus Demosthenes postulat, ut locum munirent. Sed quamquam appellabat potestatem a populo ei traditam et ostendebat, propter loci naturam et saxorum atque materiae abundantiam facile promontorium illud muniri posse, illi non obtemperaverunt irridentes, si omnia Peloponnesi promontoria munire vellent, frustra civitatis opes profundi ac perdi. Qua re Demosthenes de sententia non dejectus est. Docebat, hunc locum a ceteris multo differre, cum portus egregius adesset et Messenii in Pylo oppido collocati inde incursionibus in Laconicam faciendis et servis ad seditionem concitandis magnum Lacedaemoniis detrimentum inferre possent et iidem certi loci custodes forent. Neque tum, quae jusserat, fecerunt. Sed tanti momenti loci occupationem esse credebat Demosthenes, ut populari gratia confisus militibus centurionibusque persuadere conaretur, ut invitis ducibus Coryphasium promontorium munirent. Neque milites morigerantur. Itaque nulla spe relicta per

complures dies nihil agebat. Cum vero tempestas non resideret, milites inertiae atque quietis taedio adducti sua sponte locum munire coeperunt. Atque tanto studio et industria ardebant, ut, cum omni apparatu egerent, saxa saxis apta componerent et mortarium manibus in tergo subjectis congererent. Itaque evenit, ut, qua aditus a terra erat, partem aliaque minus natura munita sex diebus munirent. Quo facto dum classis iter pergit, Demosthenes cum quinque navibus castelli custos remanebat. Neque multo post ex duabus Messeniorum navibus quadraginta gravis armaturae milites atque peltas vimineas accepit, quibus, cum arma in loco deserto deessent, navium relictarum nautas instruxit.

Aliquanto demum spatio interjecto primos Lacedaemonios adversus castellum accedere vidit. Qui cum, quae Pyli gererentur, comperissent, contempserunt et eodem tempore dies festos agentes exercitus educendi moram fecerunt. Agis autem, qui Atheniensium fines depopulabatur, cum, quod ex Pylo occupata periculum Lacedaemoniis instaret, bene intelligeret, extemplo domum revertitur et Peloponnesios ad Pylum expugnandam convocat. Qui vero recentes ex militia tardiores accedunt. Postea etiam Lacedaemoniorum naves jussae ex Corcyra advehuntur. Quod cum videret, Demosthenes statim duas naves mittit, ut Atheniensium classem, quae ad Zacynthum insulam in ancoris stabat, arcesserent.

Interea Lacedaemonii in Sphacteria insula, quae portum claudebat, milites exposuerant, et utrumque portus introitum navibus sepire et terra marique castellum adoriri intendebant. Tum Demosthenes navibus sub murum subductis septisque ad resistendum se parat. Qui, cum navibus hostes impugnaturos esse non sperasset, castelli partem ad mare sitam, qua scopuli litoris appulsum arcerent, vallo non cinxerat. Cum vero Lacedaemoniorum classem advehi cognovisset, in eam partem illos impetum facturos esse fisus ceteris in parte munitiore collocatis ipse cum sexaginta gravis armaturae militibus electis atque nonnullis sagittariis ad maris litus descendere statuit. Quo cum pervenisset, milites brevissima oratione adhortatus, ut fortiter resisterent neque omne periculum circumspicientes

imperata prompte facere negligerent, secundum mare insistere jussit. Atque, qua exspectaverat, hostes navibus castellum adoriuntur. Sed propter appulsus difficultatem atque angustias, cum paucae tantum naves singulatim accedere possent, facile Lacedaemonios, quamvis summa ope niterentur, hoc et postero die repulit. Qui eodem tempore a terra quoque castellum aggressi nihil profecerunt. Deinde cum a portu, qua facilis esset appulsus, murum eo loco altiorem machinis tentare statuissent, naves in Asinen insulam lignatum miserunt.

Cujus temporis ad ipsum discrimen Demostheni Atheniensium et quinque Chiorum naves a Zacyntho insula profectae auxilio veniunt omni numero quinquaginta. Atque cum portum terram Sphacteriamque ab hostibus occupata esse viderent neque alium consistendi locum in propinquo invenirent, in Prote insula pernoctaverunt. Postero die per utrumque introitum, cum hostes non clausissent, in portum invecti cum Spartanis proelio navali decertaverunt, quo evenit, ut Athenienses nonnullis hostium navibus captis ceteras in terram fugarent portumque, obtinerent, ita ut Spartani, qui ex ordine tum in Sphacteria insula in statione erant, a suis interclusi essent. Continuo Athenienses insulam custodiebant.

Quae cum Spartam nunciarentur, ita perterriti sunt Lacedaemonii, ut cum Atheniensibus inducias facerent his condicionibus, ut Athenienses illorum legatos, qui de pace agerent, navi Athenas et rursus Pylum reducerent, in insulam vero pactum cibum importari sinerent. Ne improviso Spartanorum impetu Pylos expugnaretur, omnes eorum naves longas pignori acceperunt.

Athenienses, cum ea, quae Pyli gesta erant, comperissent, tantopere victorae spe elati sunt, ut nisi durissimis condicionibus pacem dare nollent. Atque Cleo popularium dux resistentibus iis, qui Niciae partes sequebantur, effecit, ut pacis faciendae condiciones cives dicerent, ut militibus, qui in Sphacteria interclusi essent, Athenas ductis Spartani Nisaeam atque Pegas, Troezena et Achajam Atheniensibus redderent. Quo facto illi milites solverentur. Atque inprimis Megridema

recuperandam esse, cum eo Demosthenes consensisse videtur. Quem jam proximo vere illam terram capere tentasse, infra, narrabitur.

Condicionibus recusatis cum Pylum rediissent legati induciae sublatae sunt. Cum vero naves pignori datas Lacedaemonii reposcerent, Athenienses non reddiderunt, quod illos incursione in castellum facta fidem pactionis rupisse dixerunt. Cujus rei, quamquam non traditur, Demosthenes suasor atque auctor fuisse videtur, qui castello praefectus et multo infensiore in Lacedaemonios animo erat quam Eurymedo et Sophocles. Denuo Lacedaemonii summo impetu a terra castellum adoriebantur. Sed frustra. Difficilis autem et odiosa Sphacteriae custodia erat. Athenienses sole et aquae potu salubri inopia et frumenti subvehendi difficultate magnopere laborabant, et quamvis pervigiles essent, tamen furto in insulam servi frumentum importabant. Itaque lentior erat oppugnatio.

Non multo postquam legati redierunt, recentes Atheniensium duces provincias accepisse videntur [1]. In sequentem annum etiam Demosthenes dux creatus erat. Praeter eum exercitui Pylio praeerant Eurymedo, Sophocles et Nicias. Nicias Athenis remanebat.

---

[1]) Lacedaemoniorum in Atticam incursionem primo vere factam esse Thucydides tradit l. IV c. 2. (*πρὶν τὸν σῖτον ἐν ἀκμῇ εἶναι*). Eodem tempore memoratur *χειμὼν ἐπιγενόμενος μείζων παρὰ τὴν καθεστηκυῖαν ὥραν*. IV, 3. Quam ob rem si illam expeditionem circa Idus Apriles factam esse statuimus, haud procul erimus a veritate. Tum cogitantes, quam tarde Peloponnesii ad Pylum convenerint, atque deinde classem nactos aliquantum temporis in paranda oppugnatione eos consumpsisse . . . . (in stationem in insula collocatam iterum ac saepius alii successerant, quoad Epitadas postremus cum suis successit) . . . spatium, quod inter illam Lacedaemoniorum incursionem et proelium navale interjaceat, minime menstruum fuisse, itaque illud proelium navale non ante exeuntem Majum commissum esse conjicere non dubitamus. Deinde Spartanorum legati per XX dies aberant. A. d. III Cal. Jul. hoc anno Athenis duces imperium inierunt. (cf. Ideler, chronol.)

Si Thucydidi fidem habere volumus (cf. Thuc. IV, 29), Demosthenes primo quidem Aetolicae cladis memor insulam tentare cunctabatur, quod timebat ne silva et invia locorum maxime hostium commodo sibique adorienti detrimento forent. Silva vere forte combusta, cum praeter opinionem plures in insula milites esse conspexisset. Demosthenem majoris momenti insulae expugnationem et facilius successuram esse credidisse. Atque cum milites magnopere molestiis laborantes instarent atque urgerent, ut decertaretur, excensionem eum parare coepisse. Utcunque res se habet, num credibile est, audacem atque temerarium illum Demosthenem solam propter loci difficultatem excensionem facere cunctatum odiosam illam oppugnationem in dies produxisse, quamvis hostium numerum minorem, quam re vera erat, duceret? Annon praeterea collegarum suffragiis prohibitum esse existimemus, quominus insulam adoriretur? Huic rei ea fortasse lumen afferent, quae Athenis gerebantur, cum jam Demosthenes militum voluntati innisus ad insulam oppugnandam omnia pararet et, cum levi potissimum armatura indigeret, copias cogeret.

Athenis interdum lentior illa oppugnatio magnum fremitum fecerat et quod facilem eam esse putabant et quod timebant, ne Lacedaemonii, cum pacem petere destitissent, latebram quandam haberent. Hoc tempore legati Pylo veniunt. Quos ill. Grote a Demosthene missos esse conjicit, ut et auxilium peterent et exercitus Pylii miserias nunciarent. Sed eos neque a Demosthene missos esse neque auxilium petiisse scriptores tradunt. Certum vero est, cum exercitum magnopere laborantem longe a spe insulae expugnandae abesse nunciassent, effecisse illos, ut oppugnationem hieme multo difficiliorem fore ratiocinantes cives pacis spretae poeniteret et in Cleonem, qui inprimis paci ineundae obstiterat, omnium irae commoverentur. Id quod fieri non poterat, si legati Demosthenem jam cepisse excensionis consilium narrassent atque auxilium petiissent. Neque Demostheni erat, cur, si ipse jam excensionem pararet auxiliumque peteret, Atheniensibus omnem rei bene gerendae spem eriperet. Illos igitur

legatos minus a Demosthene quam ab ejus collegis missos esse conjecerimus. Cum vero paratam jam a Demosthene excensionem celarent idque narrando efficerent, ut cives spretae antea pacis poeniteret, facere non possumus, quin ea legatione id spectasse existimemus Eurymedontem et Sophoclem, ut cives ad pacem ineundam propensiores redderent, priusquam audax ille et acer Demosthenes insulam Spartanosque caperet, itaque nimis Spartam contunderet. Quocirca etiam non dubium est, quin illi duces fuerint, qui suffragiis, quominus cogitata persequeretur, Demosthenem arcerent, cum, id quod apparet ex Cleonis opprobriis (cf. Th. IV, 27: *εἰ ἄνδρες εἶεν οἱ στρατηγοί*), nimis periculosam esse excensionem praetenderent.

At non fugisse videntur Demosthenem illorum cogitationes. Cum Cleone rerum condicionem et consilium Sphacteriae expugnandae communicavit, haud dubie ut clandestina illorum consilia confringeret. Quem nuntium privatim Cleoni allatum esse contra ill. Grote statuere non dubito. Nam si animo reputamus, qua in Cleonem acerbitate has res descripserit, verbis „*καὶ πάντα διαπραξάμενος* (Cleo) *ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ψηφισαμένων Ἀθηναίων αὐτῷ τὸν πλοῦν τῶν τε ἐν Πύλῳ στρατηγῶν ἕνα προςελόμενος, Δημοσθένην, τὴν ἀναγωγὴν δια τάχους ἐποιεῖτο. τὸν δὲ Δημοσθένην προςέλαβε πυνθανόμενος τὴν ἀπόβασιν αὐτὸν ἐς τὴν νῆσον διανοεῖσθαι*“ indicasse videtur Thucydides, futurum fuisse, ut quilibet Atheniensis, si aeque ac Cleo cognovisset Demosthenis consilia, cum eo conjunctus tam bene ac ille rem gereret. Deinde inter omnes si constitisset Demosthenem excensionem agitare, mira esset illa desperatio, qua afflicti sunt cives legatorum sermonibus.

Cleo autem, cum cives spretae pacis poenitere atque in ipsum ira inflammatos esse videret, habebat, cur legatos, qui rerum condicionem exasperasse videntur, falsa nunciasse insimularet atque ducum ignaviam incusaret. Tum ipse coactus, ut cum imperio Pylum proficisceretur, intra viginta dies se insulam expugnaturum esse professus non insolenter jactasse nobis videtur, Atheniensium vero, qui Demosthenis consilia ignorabant, risum movit. Deinde Demosthenem

collegam nactus, cum ei per nuntium declarasset, propediem se subsidia secum ducentem Pylum perventurum esse, iter parat. Quam accurate Cleoni Demosthenes consilia sua perscripserit, inde apparet, quod ille magnum levis armaturae militum numerum, quibus potissimum indigebat Demosthenes, in classem imposuit, praeter Lemnios et Imbrios peltastas Aenianes et quadringentos aliunde sagittarios.

Simulac Cleo Pylum pervenit, primo praeconem ad Lacedaemonios, qui in terra erant, miserunt, qui posceret, ut illi milites in insula interclusos arma seseque tradere juberent, hac condicione, ut modica custodia servarentur, donec de pace conventum esset. Quod cum recusarent Spartani, Athenienses excensionem ad effectum adducebant. Atque tantum aberat, ut Cleo Demosthenis cogitationibus obstaret, ut ei liberum de impugnatione arbitrium permitteret. Id quod aperte ac definite Thucydides refert l. IV c. 32: „*τοιαύτῃ μὲν γνώμῃ ὁ Δημοσθένης τό τε πρῶτον τὴν ἀπόβασιν ἐπενόει καὶ ἐν τῷ ἔργῳ ἔταξεν.*“

Lacedaemoniorum in Sphacteria interclusorum major pars Epitada duce media in insula consederat. In ea parte, quae ad meridiem spectabat, triginta militum praesidium collocatum erat et alii in angulo septentrionali locum natura munitum obtinebant.

Condicionibus a Lacedaemoniis recusatis Demosthenes postero die octingentos gravis armaturae milites in paucas naves, ut deciperet hostes, impositos paulo ante lucem in meridianam insulae regionem egredi jussit. Lacedaemonii ad hostium motus animos non intenderant, cum paucas illas naves, ut esset consuetudo, stationem inire opinarentur. Itaque factum est, ut Athenienses non visi ad terram accederent et cursu progressi Spartanos, qui ibi collocati erant, dormientes opprimerent, ut ne capere quidem arma iis liceret. Interea Demosthenes ipse prima luce septuaginta fere navibus cum ceteris Atheniensium copiis ad insulam accesserat. Secum habebat octingentos sagittarios et his non minorem peltastarum numerum, praeterea Messenios, qui auxilio venerant, ceteros Pylii exercitus milites praeter praesidium in castello

relictum omnesque nauticos levi armatura instructos iis tantum remigibus exceptis, quos *θαλαμίους* Graeci appellant. Quos omnes Demosthenes in singulas (Th. IV, 32.) ducenorum militum turmas distributos loca editiora a tergo et utrobique hostium occupare et undique Lacedaemonios, ubi in Atheniensium gravem armaturam procederent, improviso incurrere jussit.

Epitadas Lacedaemoniorum dux simulac praesidium, quod in meridiana insulae parte posuerat, oppressum esse certior factus gravem Atheniensium armaturam in se suosque accedere vidit, obviam iis se objicit. Tum Athenienses, ut praescripserat Demosthenes, gradum sistunt reliquam pugnae partem levi armaturae concedentes. Qui extemplo a tergo et ab utroque latere missilibus adoriuntur, ut tantum abesset, ut Spartanis cum gravi Atheniensium armatura manus conserere et, qua excellebant, pugnae in arto experientia uti liceret, ut ne progredi quidem possent. Ubi vero contra singulas turmas procedebant, illi expediti homines facile recedebant, ut Spartani gravis armaturae milites sequi non possent et, cum ipsi a ceteris partibus vehementius vexarentur, hoc insolito pugnandi genere paullatim fatigarentur. Quod cum sensissent, illi undique in Spartanos conferto agmine audacius erumpunt et ingentem saxorum sagittarum telorum vim effundunt, quorum ictus loricae non defendebant. Itaque magnus tumultus ortus et ingens pulveris vis cum silvae combustae cinere mixti excitatur, ut Spartani, cum nec prospicere nec imperata audire possent, quo se verterent, non haberent. Cum jam aliquid temporis in eodem volutati multique icti essent, confertis ordinibus angulum septentrionalem petere statuunt, et, quamvis vehementissime ab omni parte vexarentur, tamen major pars in castellum pervenit. Ubi cum ex adverso tantum aditus esset, quamvis defessi longum tempus Atheniensium impetus propulsabant. Tandem vero Messeniorum dux Demostheni ac Cleoni, si expeditorum partem sibi dare vellent, se calle reperto Lacedaemonios aversos aggressurum esse promisit. Cum ea, quae petierat, impetrasset, ab hostibus non visus per litoris aspera et devia enixus a tergo eos inopi-

nafo adoritur. Itaque Lacedaemonii utrobique a majore non-dum defatigato hostium numero circumventi non amplius resistere poterant et, cum Atheniensium duces, ut omnium caedem prohiberent eosque vivos caperent, inducias darent, acceperunt. Deinde Demosthenes et Cleo cum Styphone, qui Epitada interfecto Spartanis praeerat, conveniunt. Spartani, ut cum suis, qui in terra essent, de eo, quod faciendum esset, agere liceret postulant. Quocirca Athenienses illinc praecones arcessunt, quorum novissimus Spartanis respondit, sibi ipsi consulerent viderentque, ne turpe quid facerent. Deinde consilio inter se habito arma seseque Atheniensibus tradunt. Quorum duces postero die itineri se praeparantes captivos trierarchis custodiendos dederunt. Quadringentorum et viginti virorum, quos initio Spartani in insula collocaverant, ducenti nonaginta duo superstites erant, inter quos centum et viginti nobiles Spartani. Atheniensium perpauci occiderant.

Qua victoria quin summo gaudio populares omnesque patriae vere amici, Nicias autem atque ii, qui eum sequebantur, ignominia affecti sint, nemo non dubitat. Omnes Graeci hac nova re icti sunt. Quippe qui mori malle quam arma projicere Spartanos crederent. Iterum intra annum, quam habuissent, de animi magnitudine atque virtute Spartanorum futilem esse sententiam intellexerunt. Utrumque Demosthenis opera factum erat. Quem solum — etiamsi Cleonis est effecisse, ut ille in exsequenda excensione libere agere posset — sicut Pyli occupatae ita illius victoriae auctorem fuisse vidimus. Neque aliter sensisse videntur cives. Aristophanes certe hoc indicat cum aliis locis tum cum haec verba Demosthenem loquentem faciat: (cf. equit. v 52 sq.)

„*καὶ πρῴην γ'ἐμοῦ*
μᾶζαν μεμαχότος ἐν Πύλῳ Λακωνικὴν
πανουργότατά πως περιδραμὼν ὑφάρπασας,
αὐτὸς παρέθηκε τὴν ὑπ ἐμοῦ μεμαγμένην.“

Neque Spartani ignorabant, per quem illas clades accepissent. Etiam anno 413 a. Chr. tanto ardebant in Demosthenem odio, ut, cum Syracusani de ejus morte deliberarent, Gylippus eum servare vellet, ut eum Atheniensem qui Pylia expe-

ditione Lacedaemoniis infensissimum se gessisset, per triumphum Spartam duceret. (cf. Thuc. VII, 86: *ξυνέβαινε δὲ τὸν μὲν πολεμιώτατον αὐτοῖς εἶναι, Δημοσθένην, διὰ τὰ ἐν τῇ νήσῳ καὶ Πύλῳ κ. τ. λ.*).

Sicut Demosthenes animo proposuerat, Messeniorum praesidium Naupacto Pylum traductum est. Qui maximum Spartanis detrimentum attulerunt cum incursionibus assidue factis tum eo potissimum, quod servos ad defugiendum sollicitabant eosque tutabantur, ita ut Spartani, cum in dies frequentiores decederent, timentes, ne, si *περίοικοι* quoque irritarentur, respublica in discrimen veniret, aliquamdiu in malo illo intestino curando omne studium collocarent. Itaque factum est, ut Lacedaemonii, cum simul Athenienses, ubi in Atticam invaderent illi, se captivos interfecturos esse pronunciassent, ab incursionibus absisterent et pacis ineundae cupidiores saepius legatos mitterent. Athenienses autem, cum ex nobilissima quaque gente Spartanos captivos custodirent, quos ut liberarent Lacedaemonii omnibus nervis connitebantur, nisi durissimis condicionibus pacem dare nolebant.

Atque ita placebat et comprobabatur ea, quam Demosthenes exorsus erat, bellandi ratio, ut optime Ernestus Curtius annotat, ut saepius in posterum Athenienses idonea Peloponnesi loca occuparent et operibus praesidiisque firmarent, in his Methonen et Cythera. Alia quoque bellandi artis immutatio a Demosthene profecta est. Qui primus, cum antea gravis tantum armatura in proeliis momentum faceret, expeditis militibus in pugna Sphacteriensi ita usus est, ut soli fere pugnam decernerent. Quem ad modum postea Iphicrates totius rei militaris emendationem effecit.

Demosthenes, cum domestico malo Spartanos laborantes videret, non morandum esse putabat in iis, quae sibi proposuisset, peragendis. Animum tum injecit Megaridi occupandae, ut omnino Lacedaemoniis mediae Graeciae aditum praecluderet. Quo facto futurum esse sperasse videtur, ut facilius Athenienses Boeotiam prosternerent atque imperio in terra continenti prolato Graeciae principatum obtinerent. Propositi persequendi mox occasio oblata est (cf. Thuc. IV, 66. sq).

Megarenses enim et incursionibus quotannis factis ab Atheniensibus et ab ipsorum exsulibus vexabantur. Ideo cum inter se consilia haberent de reducendis exsulibus, ii qui horum partes sequebantur, instant atque contendunt de ea re. Praefecti vero urbis, cum populi in republica potentiam, si illi reducerentur, non duraturam esse bene intelligerent, cum Demosthene et Hippocrate Atheniensium ducibus de oppido tradendo agere coeperunt. Atque convenerunt, ut Athenienses, ne Peloponnesii ex Nisaea oppido intervenirent, muros longos inter Megara et Nisaeam expugnarent. Quo facto illi Megarenses urbem traderent, quam tum facilius Atheniensibus conciliatum iri sperabant.

Cum omnia praeparata essent, Athenienses noctis silentio prope muros in insidiis subsederunt, Hippocrates cum sexcentis gravis armaturae militibus in luti fodina, Demosthenes cum expeditis Plataeensium et *περιπόλοις*, quos Athenienses appellabant, in templo Euryali, ita ut iis Megarensium, qui conscii erant, exceptis nemo de conatu sentiret. Per dolum cum Megarensibus compositum Demosthenes cum suis primus in murorum portas intravit. Peloponnesios custodes, qui interveniunt, Plataeenses facile repellunt et portarum aditum gravis armaturae militibus tutum praebent. Alii Peloponnesiorum resistunt, major pars in fugam se convertit et timore hostium noctu invadentium adducti et, cum Megarenses quosdam ipsis adversos pugnare sentirent, omnes Megarenses proditioni interesse suspicati.

Sub lucem major pars exercitus Atheniensium ab Eleusine advenit, numero quatuor millia militum et sexcenti equites. Urbem autem quominus per deditionem caperent, consoii cujusdam indicium impedimento erat. Quo comperto cum vi se urbem expugnare non posse bene intelligerent, Athenienses primo Nisaeam oppugnare statuunt. Quo oppido capto Megara quoque ad se defectura esse sperabant.

Apparatu atque fabris Athenis arcessitis cum vallum fere perfectum esset, praesidium Atheniensibus se dedit. Pactum est, ut armis positis certa quisque pecunia liber esset, cum Lacedaemonio autem duce ceterisque, si forte inessent,

Lacedaemoniis suo arbitrio agere Atheniensibus liceret. Deinde Athenienses murorum partem Megaris proximam interrumpunt et ad eam quoque urbem capiendam se parant.

Hoc tempore Brasidas intervenit, qui in propinquo forte exercitum colligebat et de Atheniensium invasione certior factus statim Boeotos auxilio arcessiverat. In urbem vero, quod spectabat, a Megarensibus non receptus est. Boeoti, priusquam Brasidas misit, auxilium ferre intendebant et in itinere jam erant, cum periculum ipsis ab Isthmi occupatione imminens bene intelligerent (cf. Th. IV, 72: *ὡς οὐκ ἀλλοτρίου ὄντος τοῦ κινδύνου*).

Contra Brasidam deinde, qui magno exercitu accedebat, Athenienses aciem instruxerunt. Gravis armaturae milites circa Nisaeam propius ad mare positi, expediti per planitiem dissipati erant. Quos Boeotorum equites impetu facto in fugam vertunt. Deinde Atheniensium equites progressi cum Boeotis ancipiti proelio pugnant. Posthac dum Brasidas exercitu propius ad urbem ducto et castris in loco magis idoneo positis impetum Atheniensium exspectat, Demosthenes ejusque collega intelligentes, cum ita res se haberet, se urbem vi expugnare non posse, exercitum Nisaeam reducunt. Continuo Brasidas in urbem receptus est. Itaque invasio Megarica praeter opinionem ceciderat.

Multum aberat, ut ea re Demosthenes impediretur, quominus Boeotiae prosternendae consilium perficeret. Dum in Megarensibus erat, (cf. Thuc. IV, 76 sq.) Boeoti quidam novarum rerum studiosi cum eo ejusque collega agere coeperant. Quam consilii perficiendi occasionem non omisit Demosthenes. Secundum exsulis cujusdam Thebani expositiones haec composita sunt. Siphas oppidum in maris Corinthii ora situm Boeoti quidam Demostheni proderent. Eodem die alii exsules Orchomenii, qui inprimis rei adjutores erant et jam mercenarios Peloponnesios conducebant, Chaeroneam traderent. Simul Athenienses ex Attica incursione in Boeotiam facta Delium Apollinis templum occuparent, ut Boeotis undique circumventis singula oppida omnibus viribus opprimendi

potestas deesset. Quae si prospere successissent, receptacula fore illa loca exsulibus sperabant. Qui inde incursionibus ita vexarent Boeotiam, ut, si non extemplo, at procedente certe tempore, si Athenienses auxilio venirent, fieri non posset, quin summa imperii ad populum transiret.

Demostheni contigit a mari Corinthio dicto die Boeotiam tentare, Hippocrates eodem auctumni die omnibus Atheniensium viribus in Boeotiam invadere atque Delium occupare debebat. Cur illam expeditionis partem susceperit Demosthenes, non difficile est intellectu. Quippe qui et illarum regionum, ubi nonnulla jam bella gesserat, peritissimus erat, et plurimum apud socios Atheniensium, qui illic habitabant, Acarnanes atque Messenios auctoritate valebat. Quos ut ad illam expeditionem convocaret, sine mora quadraginta navibus, postquam ex Megarensibus rediit, Naupactum se contulit.

Cum in Acarnaniam pervenisset, Oeniadas oppidum ab Acarnanibus expugnatum in Atheniensium dicionem accepit. Deinde Acarnanum copiis convocatis adversus Salynthium Agraeorum regem arma tulit eumque sub Atheniensium imperium redegit. Quo facto expeditionem Boeoticam parare coepit et, cum dies, quo ad Siphas esse debebat, appropinquaret, illorsum cum Acarnanibus atque aliis sociorum copiis vela dedit.

At vero in diebus, cujus culpa nescimus, ratio fefellit. Praeterea Atheniensium consilia a Phocio quodam Spartanis et per eos Boeotis patefacta erant. Itaque factum est, ut Boeoti nondum facta ab Hippocrate incursione, cum Demosthenes adveniret, omnibus viribus Siphas atque Chaeroneam praeoccuparent, ille vero infecta re decederet. Deinde Hippocrates, cum Boeotiam ingressus Delium muniisset, ab hostibus, qui celerrime Siphis illuc concurrerunt, cum exercitu ad internecionem caesus Deliumque recuperatum est.

Iterum igitur magnum illud Demosthenis consilium ad irritum redactum est. Quod si prospere successisset, Athenienses Boeotia capta atque summa imperii ad populum delata, cum Acarna-

nes atque Naupactoi fideles eorum socii essent, mediae Graeciae et Megaride quoque occupata maris Corinthii domini Corinthiorum in Graecia occidentali potestatem plane profligare et in illis regionibus, sicut in mari Aegaeo, imperium proferre poterant. Atque cum eodem tempore idoneis in Peloponnesi ora locis occupatis Spartanos in ejus peninsulae terminos coërcuissent, facile futurum fuisset, ut debellaretur victoresque Athenienses totius Graeciae principatum obtinerent.

Siphis infecta re reversus continuo in Sicyonem (cf. Thuc. IV, 101.) excensionem effecit, quae cum in illarum incursionum, quibus alteri alteros vexabant, ut non dimicaretur, potius modum quam ex Demosthenis bellandi ratione facta esse videatur, mira esset, nisi perdita Boeotiae prosternendae spe graviter affectum primam quamque contra hostes infesti aliquid gerendi occasionem arripuisse Demosthenem sumimus. Priusquam vero omnes naves appulsae sunt, copias jam egressas Sicyonii, qui celerrime advolarant, ad naves fugaverunt.

Abhinc usque ad Niciae, quae dicitur, pacem de Demosthene ab auctoribus nihil narratur. In indice demum a Thucydide (cf. Thuc. IV, 19. 23) tradito eorum, qui in pacem illam atque foedus paulo post cum Spartanis initum juraverunt, Demosthenem reperimus. Atque quod eo quoque inter alios pacis internuncio usi sunt Athenienses, testimonio esse videtur, partem certe quandam civium novissimas, quas acceperat, clades non ita illi vitio vertisse, ut Pyli occupationis victoriaeque insularis obliti essent. Praeterea potest, ut multi eorum, qui antea bellum ad internecionem geri voluerant, ideo Demosthenem eligerent, quod eum, qui ipsorum factionis fuisset et praeclare factis plurimum ad istam Spartanorum pacis cupiditatem contulisset, operis sui fructus quam maximo pretio venditurum esse sperabant.

In proximis annis Demosthenes Alcibiadis claritate omnino fere obscuratur. Qua re factum est, ut, quamvis a rebus gerendis eum non abstinuisse constet, tamen auctores nihil de eo accuratius narrent. In inscriptione autem, de qua dis-

seruit ill. Boeckh in libro, quem „Staatshaushalt der Athener“ inscripsit (II. p. 26), Demosthenis mentio fit. Est illa inscriptio ratiuncula praefectorum sacri in arce aerarii, in qua Demosthenes bis dux ad Eionem nominatur. Atque primo quidem pecuniae, quae in altera anni tertii Ol. 90. prytania ei decretae sint, expensae feruntur. Unde apparet Demosthenem auctumno a. 418 a Chr. n. in Thracia res gessisse. Sequenti vero hieme Athenis fuisse videtur, unde illo tempore a civibus Epidaurum mittitur. Prope ad id oppidum a 418 ab Atheniensibus una cum Mantineis Eleis Argivis castellum exstructum erat. Argivi vero, postquam cum Spartanis foedus inierunt. secundum pacis condiciones per legatos postulant, ut Athenienses (cf. Thuc. V, 80) ex castello copias deducerent. Qui cum ceterum praesidium suis numero aliquantum praestare intelligerent, Demosthenem copias deducere jusserunt. At ille, qua erat astutia, castellum totum in Atheniensium potestatem redegit. Per speciem certaminis edendi ceterum praesidium extra muros ire jussit, suos retinuit. Simulac illi exierunt, portas clausit, ut solus cum Atheniensibus in castello remaneret. Quod brevi post, cum Athenienses obtinere nollent, Epidauritanis redditum est.

Ex illo tempore etiam lis esse videtur, quam cum Antiphonte habuit Demosthenes. Ad quam pertinet ille *λόγος πρὸς Δημοσθένη τὸν στρατηγὸν παρὰ νόμων*, cujus mentio fit in vit. X orator. §. 21, et, quas pluribus locis apud Harpocrationem reperimus, actiones: *ἡ πρὸς τὴν Δημοσθένους γραφὴν ἀπολογία* et *ὁ πρὸς τὴν Δημοσθένους ἀντιγραφήν*. Ex vocibus, quas Harpocratio in illis actionibus repertas paucas nobis tradidit, nihil de lite accuratius cognosci potest, praeter quod. cum Alcibiadis Phegusii atque Andronis nomina in illa publica causa appellati sint, eam non multo ante Siculum bellum actam esse conjicere licet.

Deinde cum de Sicilico bello quaereretur, quam secutus sit sententiam Demosthenes, nihil in fontibus est. Quod ad id temporis eorum fuit. qui bellum ad internecionem geri volebant, inde fortasse conjici potest, etiam tum eum bellum voluisse. Utrum Sicilica vero expeditio ab eo expetita sit

annon, pro materia nostra certo disceptari non potest. Postea cum ipse illuc mitteretur, non probasse eum bellum illud videbimus.

Exercitus, quem primo Athenienses in Siciliam miserant, post Alcibiadis decessum Niciae ignavia atque negligentia, Gylippi vero Syrcusanorum ducis acritate atque prudentia in iniquam condicionem dejectus erat, ut Nicias epistola ad cives missa libere atque aperte copiarum miserias enarrare et postulare statueret, ut aut expeditionem dimitterent Athenienses aut recentem exercitum numero non minorem in Siciliam mitterent, ipsi vero aegroto imperium adimerent. Quam epistolam (cf. Thuc. VII, 10. 16.) acceperunt Athenienses mense Decembri a. 414. Atque apparebat ex ea, tantum abesse, ut Athenienses obsiderent, ut obsessi potius essent, Syracusanis vero victoribus totam fere Siciliam conciliatam atque Peloponnesios quoque auxilium laturos esse. Attamen expeditionem dimittere et Niciae imperium adimere nolebant Athenienses. Placuit iis Demosthene et Eurymodonte ducibus recentem exercitum in Siciliam mittere. Quoad ambo advenirent, Menandrum et Euthydemum Niciae aegroto collegas atque adjutores esse jusserunt. Eurymedo eodem jam anno in Siciliam se contulit, ut pecuniam afferret atque populi jussa nunciaret. Demosthenes per hiemem Athenis remanebat, ut pecuniam et milites colligeret. Priusquam vero omnia paravit, Spartani in Atticam ingressi Deceleam muniebant.

Licet antea aliter senserit de Sicilia subigenda, hoc tempore majori fructui fore reipublicae sperasse videtur Demosthenes, si aperte atque directe omnibus viribus Spartanos adorirentur Athenienses, quam si omnia in Sicilia subigenda ponerent, qua re per ambages demum Spartanis nocere possent. Id quod intelliges, si consideraveris, quomodo, simulac in Siciliam pervenerit, se gesserit ille Continuo statuit uno tantum impetu urbem tentare et, si secus processisset, extemplo exercitum deducere (Thuc. VII, 47: *„καὶ τῇ πόλει ὠφελιμώτερον ἔφη εἶναι πρὸς τοὺς ἐν τῇ χώρᾳ σφῶν ἐπιτειχίζοντας τὸν πόλεμον ποιεῖσθαι ἢ Συρακοσίους, οὓς οὐκέτι ῥάδιον εἰ-*

ναι χειρώσασθαι· οὐδ᾽ αυ ἄλλως χρηματα πολλὰ δαπανῶντας εἰκὸς εἶναι προσκαθῆσθαι.) Cum re vera ausum ad irritum cecidisset poscere instabat, ut expeditione dimissa domesticum potius bellum duces defenderent. (cf. Thuc. VII, 48.) Noli opponere, ut ita sentiret, solis rei difficultatibus eum adductum esse. Permirum esset, ducem illum, si majorem fructum civitatem capturam esse sperasset ex Syracusarum expugnatione, quam ex Spartanorum strage et ruina, difficultatibus solis commotum esse, ut non modo non aliunde urbem tentare conaretur, sed primo impetu secus procedente hastas abjiceret. Num vero etiam tum id spectaverit, ut magnum illud consilium, ad quod pertinent omnes, quas antea susceperat, expeditiones inde a bello Aetolico usque ad invasionem Boeoticam a 424, denuo ad effectum adduceret, nihil apud auctores est. Attamen non plane eum illud consilium abjecisse, nescio an testimonio sit illa, quam supra memoravimus, Epidauri occupatio et ea, quae, cum in Siciliam proficisceretur, una cum Charicle adversus Peloponnesios gessit. Ita si sensisset, etiam non mirum esset, quod Sicilicam expeditionem non probavit.

Dum Charicles, quocum Demosthenes in itinere contra Peloponnesios hostilia facere jussus erat, Argos se confert, ut ex foedere Argivos ad expeditionem convocaret, ipse sexaginta Atheniensium et quinque Chiorum navibus cum mille et ducentis gravis armaturae militibus Atheniensium et quotquot insulanorum recipere poterat, Aeginam et inde ad Peloponnesum profectus est, ut Argivos cum collega et, si qui relicti essent, exspectaret. Exercitu collecto duces Epidauritanorum fines depopulati sunt. Deinde in eam Laconicae oram egressi, quae in conspectu Cytherorum insulae sita est, partem quandam depopulati peninsulae angustias vallo munierunt, ut servi Lacedaemoniorum ibi receptaculum haberent et inde, sicut ex Pylo oppido, incursiones in Laconicam fieri possent. Quamvis jam plura adversus Lacedaemonios gerere ex animo ejus fuerit, eo tempore Atheniensibus in Siciliam subvenire jussus non potuit Demosthenes. Peninsula potitus decessit, cum locum muniendum collegae delegaret.

Cum iter pergeret, Pheiae in Elide navem, qua Corinthii milites in Siciliam transituri erant, invenit atque delevit. Milites effugerunt. Tum Zacynthiorum et Cephallenorium milites accepit et Messenios Naupactoos arcessivit. In Acarnaniam quoque se contulit, Alyziam, et Anactorium in oppida Atheniensibus subjecta. Cui illic versanti Eurymedo occurrit ex Sicilia reversus, qui eum certiorem facit de iis, quae ad id tempus gesta erant. Dum uterque exercitum propere cogit, ut Atheniensibus, qui Plemmyrio promontorio expugnato in interiorem Magni portus partem coërciti essent, auxilium ferrent, Cono, qui in Corinthio mari in statione erat, ut prohiberet, quominus Peloponnesii auxilia in Siciliam mitterent, illos adiit, ut sibi aliquot naves subsidio darent. Dederunt X naves, quae ceteras velis celeritate superabant. Deinde dum Eurymedo naves XV et gravem armaturam Corcyraeorum convocat, Demosthenes e regionibus circa Acarnaniam sitis funditores atque jaculatores cogit. Acarnanes, quo amplectebantur amore Demosthenem, libentissimo animo in Siciliam sequuntur. Exercitu coacto duces Jonium mare transvecti promontorium Japygium petierunt Inde ad Choeradas insulas accedunt, ubi jaculatores accipiunt et cum Arta rege, qui eos dederat, amicitiam antiquam renovant Etiam Metapontinos adduxerunt, ut ex foedere trecentos jaculatores atque duas triremes darent. Deinde Thurios profecti, cum Atheniensium in republica adversarios pulsos invenirent, ibi commorabantur, ut exercitus numerum inspicerent, si qui relicti essent, et Thurinos ad belli societatem atque foedus ineundum commoverent. Thurinis septingentis gravis armaturae militibus et trecentis jaculatoribus ad proficiscendum paratis, Demosthenes et Eurymedo classem oram Crotoniensem legere jusserunt. Ipsi exercitum terra per Thurinos duxerunt. Qui cum ad Hyliam flumen pervenissent, per Crotoniensium legatos per fines eorum proficisci vetiti ad oram et fluminis ostia descendunt, ubi classem reperiunt. Postero die classe profecti ad oppida exceptis Locris accedunt, donec ad Leucopetram promontorium perveniunt. Unde Syracusas transvehuntur. Atque in ipso discrimine Atheniensibus succurrunt.

Plemmyrio promontorio per Syracusanos expugnato Atheniensium naves in interiorem portus partem intra urbis muros et Anapum flumen rejectae erant. Atque terram quoque obtinebant hostes praeter eam partem, qua vallum Atheniensium ab Epipolis ad portum porrigebatur. Alterum vero vallum ab Epipolis ad mare quominus perficerent, Syracusani transverso muro aedificato impediverant. Praeterea milites Atheniensium deteriore statu erant et quod morbi orti erant et quod tot cladibus acceptis animo ceciderant et alias ob causas. Syracusani vero rebus prospere gestis permultos sibi socios conciliaverant. Deinde paulo ante Demosthenis adventum cum navium constructione immutata, qua ad pugnandum in arto magis idoneas reddiderunt, Athenienses navali proelio profligassent, portum clausuri et Athenienses ad internecionem redacturi erant. Hoc in discrimine Demosthenes cum classe advenit. Quinque milia gravis armaturae militum praeter ceterum apparatum in LXXIII navibus secum ducens magnifica cum pompa in portum invehitur. Quod cum viderent, Syracusani in magnum timorem pervenerunt. Eo magis Athenienses animos receperunt.

Deinde Demosthenes, cum quomodo res se haberet plane cognovisset atque simul animo reputaret, ad tempus se hostibus majori terrori esse, in posterum autem illos magis magisque animos recepturos esse, terrore, quem iis injecisset, uti statuit.

Athenienses Epipolarum meridianam partem obtinebant. A septentrione Syracusanorum murus transversus erat, qui ab urbe profectus in occidentem versus ad summum collium porrigebatur et in castellum exibat. Qui, ut prospere succederet obsidio, ab Atheniensibus delendus et hoc quoque loco urbs vallo cingenda erat. Neque difficile sibi fore murum expugnare, si collium aditu atque castello potitus esset, bene intellexit Demosthenes et, quamvis Nicias viri temeritatem atque acritatem magnopere admiraretur, murum tentare statuit: nam aut si prospere rem gessisset, brevi debellatum iri, aut, si minus, continuo se exercitum deducturum esse.

Postquam agros circa Anapum flumen depopulati Syracusanos obsistentes superarunt Athenienses, Demosthenes transversum murum, cum simplicem eum esse cognosset, primo machinis tentabat. Quibus ab hoste combustis atque Atheniensibus, qui una multis locis impetus fecerant, repulsis Demosthenes sine mora, cum Niciam atque collegas adduxisset, extremum murum circumvenire atque castellum, in quod exibat, expugnare constituit. At interdiu propositum perfici non poterat, quia Syracusani ex summo collium hostes signa efferentes conspicerent necesse erat. Itaque muri noctu expugnandi consilium cepit. Milites in quinque dies cibum providere jussit et omnes fabros lignarios atque caementarios et ceterum apparatum, quo, si prospere rem gererent, ad murum exstruendum opus erat, secum ducens prima nocte profectus ad Epipolas contendit, dum Nicias intra Atheniensium vallum remanet.

Luna lucente Demosthenes cum copiis ab hostibus non visus castellum in extremo hostium muro situm attigit et primo impetu cepit custodibus nonnullis interfectis, dum ceteri ad suorum castra, quae tria in Epipolis erant, confugiunt et Syracusanos de castelli expugnatione certiores faciunt. Quos, cum obsistere conarentur, repulit Demosthenes, dum alisuorum proximam muri partem oppugnant atque pluteos derii piunt. Hoc prospero rerum eventu freti Athenienses procurrunt et initio quidem Syracusanos, qui perterriti obsisterent, propulsant. Deinde vero, ut impedirent, quominus hostes jam turbati se colligerent, ardore certaminis longius sine ordine ullo progressi a Boeotis, qui primi compositi atque instructi iis resistebant, in fugam dati sunt. Tum omnis nocturnae pugnae terror incessit Athenienses. Quorum alii jam recedebant, alii incauti a primo impetu nihil cessabant, dum alii colles subibant, qui, cum omnia jam perturbata essent, quo se verterent, ignorabant. Cum per lunam alteri alteros non agnoscerent nisi vocibus et Athenienses saepius signum peterent, hostes id exceperunt, ita ut, si numero minores Atheniensibus occurrebant, facile effugerent, majores vero eos perderent. Praeterea cum Athenienses omnes, quotquot ipsis obviam veniebant, et suos ipsos fugatos hostes putarent et

sociorum Doriorum cantu in majorem etiam terrorem conjicerentur, omnia perturbata sunt, ita ut multis locis amici cum amicis, cives cum civibus manus consererent. Multi propter viae angustias de locis declivibus praecipitati perierunt. Eorum, qui ad planitiem pervenerunt, alii, qui ex priore exercitu erant, ad castra confugerunt, alii via decepti postero die a Syracusanorum equitatu caesi sunt. Itaque praeclarum illud consilium, in quo perficiendo prospera initio fortuna usi erant Athenienses, in cladem conversum est.

Qua re non minus quam morbis in castris increscentibus ita animis fracti sunt milites, ut de salute desperarent. Cum igitur duces de his rebus consilium haberent, Demosthenes sine mora exercitum deduci jubet, dum mari uti liceret et hostium naves superare possent. Atque patriae majori fructui fore, si contra Spartanos, qui in Attica locum munirent, tanto exercitu uti, quam Syracusas oppugnare mallent. Contra Nicias impugnat, qui in cunctando omnia ponebat et simul, si injussu populi exercitum deduceret, civium iras timebat. Ostendit leviter commercium sibi esse cum factione quadam hostium, per quam certa de illorum condicione sciret. At non persuadet Demostheni. Qui cum, si remanerent, totum exercitum interiturum esse intelligeret, patriae salutem sui ipsius anteponere malebat et civium iras non timebat, dummodo ne quid detrimenti caperet respublica. Sin vero injussi exercitum Athenas reducere nollent, ad Thapsum aut Catinam castra ponere duces jussit, unde copiis pedestribus longe lateque vagantes facile victum haberent et hostibus agros depopulantes nocere possent, navibus autem non in arto quod magis pro hostibus esset, sed in salo pugnantibus magis experientia uti liceret et recedendi et aggrediendi libera potestas esset. Omnino non hoc loco manendum, sed quam celerrime castra movenda esse. Quae graves causae Eurymedontem impulerunt, ut ad Demosthenis sententiam accederet. Eo pertinacius vero Nicias in proposito perseverat. Cujus sententiam etiam Menander et Euthydemus secuti esse videntur. Quo factum est, ut Athenienses in portu remanerent.

Interea dum nihil agunt Athenienses, Syracusanorum copiae in dies augebantur. Qui rursus jam ad Athenienses terra marique adoriendos se parant. Tum illos poenitere coepit, quod Demosthenis consilium repudiassent, praecipue cum morbis increscentibus in dies in deteriorem statum venirent, ut Nicias ipse non jam impugnaret, dummodo clam subduceretur exercitus. Itaque in ipso discrimine vicit Demosthenis consilium. Ad proficiscendum omnia parantur. Cum vero jam vela daturi essent Athenienses, luna deficit. Qua re ita perterriti sunt Athenienses et inprimis superstitiosissimus ille Nicias, ut, cum prodigiorum interpretes consuluisset, ante viginti septem dies se profecturum esse negaret. Rursus igitur Demosthenis consilium superstitione hominum perturbatum est. Syracusani deinde de iis, quae in Atheniensium castris gerebantur, certiores facti eos ad internecionem redigere statuunt. Terra vallum eorum aggrediuntur atque simul cum classe proelio navali pugnant, in quo Eurymedo interiit et Athenienses tantam cladem acceperunt, ut, cum omnem spem in navibus posuissent, plane de salute desperarent, hostes autem omni nauticae Atheniensium praestantiae timore abjecto portum navibus claudere constituerent, ne illis effugiendi locus esset.

Quam ob rem duces atque centuriones Atheniensium consilium habent, in quo Demosthenis sententiam secuti omnibus navibus septa perrumpere Catinamque contendere aut, si secus cecidisset, terra ad urbem quandam foederatam proficisci statuunt. Demostheni obtigit, una cum Menandro et Euthydemo classi praeesse, Niciae in terra manere. Illi copias, cum clam hostibus ex superioribus muris ad navium stationem deduxissent, in naves, quaecumque idoneae videbantur, centum et decem numero imposuerunt.

Contra gravia Syracusanorum rostra, quibus maxime Atheniensibus nocuerant, manus ferreas machinati sunt, quibus navium retractus impedirent. Praeterea Demosthenes naves majore solito militum numero implevit, jaculatorum et sagittariorum, inter quos Acarnanes praestabant. Quomodo cum proelium navale in terrestre mutaret, hostibus nihil pro-

futuras esse sperabat naves ad pugnandum in arto instructas. At quae machinantur Athenienses, Syracusanis produntur. Qui manuum ferrearum injectus pellibus super naves inductis arcere parant.

Deinde cum Athenienses Demosthene duce septa perrupturi primo impetu naves hostium illic positas superassent et septa disjicere tentarent, Syracusani undique eos adoriuntur, quo factum est, ut pugna per totum portum diffunderetur. Utrorumque milites fortitudine, navium gubernatores artificiis inter se certabant. Diu pugnatum est. Denique Athenienses victi et ad oram fugati sunt. Compluribus locis ad terram egressi praecipiti fuga castra petierunt. Ingens terror eos incessit, ut mortuos sepelire obliti proxima nocte terra effugere intenderent. Contra Demosthenes, qui plures suis esse integras naves quam hostibus cognoverat, suasit, ut has sexaginta circiter naves militibus complerent et proximo die prima luce denuo septa perrumpere conarentur. Cui Nicias assensus est. At tanta militum erat salutis desperatio, ut naves conscendere negarent. Itaque duces noctu terra exercitum deducere statuerunt.

Interea Syracusani, ut tempus ad vias praeoccupandas nanciscerentur, per speciem privatarum necessitudinum Niciam ita fefellerunt, ut per paucos dies discessum differret. Itaque factum est, ut Athenienses tertio demum die post pugnam proficiscerentur. Nicias primum agmen ducebat, novissimum Demosthenes. Uterque militum demissos et oppressos animos adhortanto erigere studebant. Cum vero ad Anapum flumen pervenissent, trajectum Syracusani prohibebant. Quibus in fugam datis longius procedunt ab utroque latere ab hostium equitatu atque levi armatura vexati. Neque minimum, quibus Demosthenes praeerat, milites laborabant. Per paucos dies ad Catinam versus iter pergunt. Cum vero omnes vias a magno hostium numero occupatas invenirent, ad mare versus, deinde in via Helorica ad Cacyparin flumen, inde ad Erineum et ad Camarinam Gelaque versus exercitum ducere constituerunt. Frequentibus ignibus factis hostes fallentes, ne, quo se verterent illi, sentirent, noctu silentio discedunt. At

militum animos jam oppressos repentinus terror incedit, quo praecipue novissimum agmen, cui Demosthenes praeerat, perturbatum ad primum insequendum tardabatur. Atque priusquam ad Cacyparin flumen pervenerunt, (cf. Grote: hist. gr. IV. p. 267), Demosthenes ad meridiem a Syracusanis, qui prima luce Atheniensium discessum senserant, reprehensus esse videtur.

Qui extemplo in villa muro cincta, cui nomen Polyzeleia erat, constitit et ad pugnam aciem instruxit. Repente vero Athenienses undique circumventi telis confunduntur, quo factum est, ut milites jam initio perterriti plane perturbarentur. Postquam ad vesperum restiterunt multique vulnerati sunt, civitatum quarundam copiae a Gylippo libertatem praestante evocatae, ut ad Syracusanos transirent, Demosthenem deserunt. Qui cum diutius resistendo frustra militum sanguine abuti nollet, cum Gylippo de tradendo exercitu convenit, ut nemo suorum armis positis atque omni, quam secum haberet, pecunia dedita vita privaretur nec vi nec carcere nec victu fraudato. Sex millia militum arma ponunt et quatuor clypeos nummis abjectis complent (cf. Philist. apd. Paus. I, 29). Sibi ipsi Demosthenes non consuluerat. Et eo, quod de sua ipsius salute nihil pactus est, factum esse videtur, ut militibus tam leves condiciones statuerentur. At exercitus Laconi traditi (cf. Plut. Nic. 37.) probrum atque dedecus perferre noluit. Gladio stricto se interfecturus erat, cum hostes quidam, qui id senserunt, eum impedirent, quominus propositum perficeret. Deinde Demosthenes cum Nicia, qui paulo post se ipsum quidem Gylippo, cui se non ingratum esse sciebat, exercitum (cf. Phil. ap. Paus. I, 29.) vero sine condicione Syracusanis tradiderat, Syracusas reductus est.

Dum milites extemplo in lautumias conjiciuntur, de tractandis ducibus consilium habent Syracusani eorumque socii. Horum et inprimis Corinthiorum opera factum est. ut, Nicias et Demosthenes (cf. Thuc. VII, cf. Phil. ap. Paus) morte multarentur, invito Gylippo, qui utrumque servare voluerat, alterum Spartanorum studii gratia, alterum illis ob Pyli occupa-

tionem atque victoriam insularem odiosissimum, ut captivum per triumphum Spartam duceret.

Niciam quidem, cum has res narret, laudibus ornat Thucydides, quamvis ejus negligentia ignavia atque superstitione in illas tantas miserias venissent Athenienses, nihil de Demosthene. Qua re dilucide significatur, quantum ille, qui optimatium partes sequebatur, dissenserit a Demosthene. Qui ante omnes laude dignus erat, cum Niciae culpa in calamitatem adductus sit, ex qua Athenienses, si ejus sententiam secuti essent, emersissent. Qui belli peritia prudentia atque fortitudine optime de republica meritus in ipso discrimine patriae salutem sui ipsius anteposuerat. Id quod postea recte intellexerunt cives, cum Nicia omisso Demosthenis et militum nomina, quotquot in Sicilia interierant, in columna inscriberent. (cf. Paus. I, 29, 9.)

VITA.

Natus sum Fridericus Haussding Drebkoviae, quod est oppidulum Lusatiae inferioris, Calendis Juliis a. h. s. XLV, parentibus adhuc superstitibus, matre e gente Ottoniana, patre Carolo Friderico mercaturam faciente. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis institutus gymnasium Cottbusinum frequentare coepi. Auctumno a. LXIV academicae maturitatis testimonium nactus universitatem Viadrinam Vratislaviensem petii atque nomen dedi apud amplissimi philosophorum ordinis decanum. Deinde ab a. LXVI per tria semestria inter universitatis Berolinensis cives commoratus sum.

Vratislaviae primo quidem tempore philologicis, postea propensiore animo historicis studiis me dedi. Scholis interfui disserentium virorum Ill. Braniss, Haase, Hertz, Neumann, Roepell, Rossbach. Deinde cum inprimis historiae operam dare statuissem, Berolini Ill. Droysen, Jaffé, Koepke, Ranke magistris usus sum. Qui viri omnes quanto opere sint de institutione mea meriti, grato animo memorique semper profitebor.

THESES.

I.

τὸν κατάλογον τῶν Ἀθηναίων, cujus Lysias or. 25 §. 16 mentionem faciat, proscriptorum indicem fuisse.

II.

Stedefeldtii conjectura ad Plutarch. Lysandr. c. 19, pro *ἃ χρὴ δόντες*, scribendum esse *ὅμηρα δόντες* probabilis est.

III.

Pacem, quae dicatur Cimonis, non esse factam.